



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 159. Manichæi a Bohemiæ Rege expulsi

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

§. CLIX.

*Manichæi a Bohemice Rege
expulsi.*

Podiebracius Bohemiæ Rex (*) ut
labem traditæ Turcis Synderoyiæ Leuclav.
urbis, quam contra Matthiam Hungariæ l. 15.
Regem inique occupaverat, ac propterea Bonfin. 3.
gravem Pontificis indignationem sibi dec. 10.
accerferat, tandem deleret, ac in gratiam
Papæ rediret, Religionis suæ fidem lu-
culento testimonio comprobare conten-
dit, dum omnes Manichæos, qui in ipsius
Regno, sacro fonte ablui recusabant, e
tota regione migrare coegit, negata quo-
que eorum bona evehendi aut vendendi
facul-

(*) Jam supra §. CII. annotavimus, hunc
Bosniæ non Bohemiæ Regem, nec Podiebracium
sed Stephanum appellatum fuisse; Bosnia enim
seu Bosna est Regio Hungarorum olim domi-
nio nunc Turcis subdita (nunquam autem Bo-
hemis) Septentrionem versus Slavoniam, ad oc-
casum Croatiam, ad Meridiem Dalmatiam, &
Orientem versus Serviam respicit: nullibi
autem legimus hanc Regionem a Podiebracio
Matthiæ Hungarorum Regi ereptam fuisse.

Sæcul. XV.
A. C. 1460.

facultate. Horum duo circiter millia Christi fidem receperant; supra quadringenta autem eorum millia pertinacius suis erroribus insistentes ad Stephanum Bosniæ Ducem eadem Manichæorum secta infectum confugerant. Tres hujus hæresis Principes Episcopus Nonensis victos ad Pontificem duxit, quos Pius ad Religiosorum monasteria deduci, ac Christianæ fidei præceptis imbuti iussit, demum vero illos ad gentis suæ Regem remisit.

FINIS TOMI XXVIII.



INDEX